

www.e-rara.ch

**Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum
disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]**

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22314>

De coeca obedientia papistarum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DE COECA OBEDIENTIA PAPISTARUM

P A R S P R I O R.

Resp. SIMONE van HAMERSTED, Bergopzomâ-Brab. 18. Dec. 1661.

S. 1. *Obedientia consideratur vel ut virtus generalis, vel ut virtus specialis. Prior est executio cuiusque actus virtutis sub præcepto cadentis. Posterior est virtus inclinans subditum ad exequenda superiorum præcepta, ut præcepta sunt. Cujus oppositum est inobedientia, vitium scil. speciale, inclinans ad omittenda præcepta, eo quod præcepta sunt. Vide Thomam 22. qu. 104. art. 2. Obedientia considerata ut virtus specialis, distingui potest in divinam & humanam. De obedientiâ divinâ seu erga Deum agitur ad 1. decalogi præceptum; de humanâ seu erga hominem ad 5. præc. Humana obedientia op-
ponitur in excessu absoluta seu cæca obedientia: in defectu inobedientia modo descripta; quæ vel negativa seu privativa, vel positiva, dicta resistèntia, rebellio. Nos in presenti de vitio illo in excessu, quod cæca obedientia dicitur nonnulla delineaturi, præmonemus, non tam considerata à nobis facta hominum, qui aliorum mandatis, consiliis, & exemplis se mancipant, & cæco brutoque impetu in quævis illicita ruunt, quique ideo merito serva pecora Poëta dicuntur: quam regulas, dogmata, dictata, & præsumta religionis formam.*

S. 2.



Oecam obedientiam in Papatu traditam & exercitam, juxta religionem ejusdem, observamus triplicem, generalem, specialem, specialissimam.

I. *Generalis* seu communis est, quæ in scholis Papi-
sticis ecclesiæ Romanæ, seu mavis Pontifici Romano
tanquam ecclesiæ virtuali, & Synodum generalem fac-
cienti, unumque tribunal cum Christo habenti, ideoque
dispensanti contra jus de jure, atque adeo ex peccato non peccatum facienti
(uti Bellarminus in controversiis, & contra Barclayum, imprimis & Cano-
nistæ passim determinant), & consequenter episcopis & confessoribus præstan-
da imponitur.

Probatur hæc cæca universalis obedientia Papatus.

1. *Ex theologiâ papali* de fide implicitâ & carbonariâ: quæ alibi excuti-
tur. Interim consulant studiosi nostri Chamieri panstratiam, aliosque Papa-
tus Antagonistas & inter ipsos Pontificios Effenceum in 2 Tim. 3. v. 15.
lect.

sect. 17. p. 119. ubi fidem carbonariam inter catholicos (uti loquitur) iactatam, haut obscure perstringit; & historiæ hujus relationes indicat apud *Erasmmum, Pighium, Hofsum*.

2. Ex obedientiâ episcopis præstanda: adeo ut non tantum non sit peccatum, si quis in virtute illius obedientiæ episcopum suum hæreses docentem sequatur, sed etiam opus meritorium. Cardinalis Toletus lib. 4. instruct. sacerdotum cap. 3. *Si rusticus circa articulos fidei credat suo episcopo proponenti aliquod dogma hereticum, meretur in credendo, licet sit error, qui tenetur credere donec ei constet esse contra ecclesiam.* Confer Thomæ 22. qu. 2. art. 6. *Si à virtute divinâ aliqui majorum (h. e. præpositi in ecclesiâ) deficiant, non præiudicat fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt.* Contrarium docet Servator Matth. 15. v. 14. *si cæcus cæcum ducit, ambo cadunt in foveam.*

3. Ex obedientiâ omnibus confessariis præstandâ, in resolutione & iudiciali determinatione casuum conscientiæ, circa factorum quorumcunque confitentis (exceptis casibus reservatis) qualitatem, & quantitatem; & impositam, pro ratione eorum, satisfactionum qualitatem ac quantitatem. Huic iurisdictioni interiori ipsum Pontificem tanquam pœnitentem subiectum docent duo ipsorum dicti Divi, hoc est, canonizati doctores *Thomas Angelicus & Bonaventura Seraphicus* in 4. dist. 19. & ex recentioribus *Fillijcius* tr. 7. n. 30. *Zwarez* in 3. *Thoma* dist. 27. sect. 2.

4. Ex absolutâ obedientiâ Pontifici debitâ, juxta Extravag. Bonifacii 8. quæ omnes animas subijcit Pontifici & quidem de necessitate salutis. Subjectionis hujus modus & gradus explicatur in *Jure canonico*, dist. 40. c. *Si Papa*. Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens, deprehenditur, &c. nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso multis plagis in æternum vapulatu-
 „ rous. Hujus
 „ culpas istic redarguere præsumat mortalium nullus: quia cunctos ipse
 „ judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.
 „ Ubi notæ jussu Gregorii XI. emendato juris canonici corpori adjectæ,
 „ ex Bonifacii Martyris verbis antecedentibus & consequentibus caput hoc
 „ illustrent. „ Et revera tantâ reverentiâ apicem præfatæ sedis Apostolicæ
 „ omnes suspiciunt, ut nonnullam sanctorum canonum disciplinam & an-
 „ tiquam Christianæ Religionis institutionem magis ab ore prædecessoris
 „ ejus, quam à sacris paginis & paternis traditionibus expetant: illius velle
 „ illius nolle tantum explorant, ut ad ejus arbitrium suam conversationem
 „ & ipsi remittant aut intendant. Adde Bellarminum lib. 4. de Pontifice
 „ cap. 5. *Si autem Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, te-
 „ neretur Ecclesia credere vitia esse bona, & virtutes malas, nisi vellet contra con-
 „ scientiam*

scientiam peccare. Tenetur enim in rebus dubiis Ecclesia acquiescere iudicio summi Pontificis, & facere quod ille precipit, non facere quod ille prohibet; ac ne forte contra conscientiam agat, tenetur credere bonum esse quod ille precipit: malum quod ille prohibet. Cum asinina non minus ac blasphemâ hâc theologiâ convenit celebre & celebrandum illud dictum quod Cardinali Nicolao de Cusa tribuitur: quo laicos ferè ad instar pecudum in rebus fidei subiectos facit: alludens fortè ad Job. 1. v. 14. ubi juxta sensum allegoricum asinos Gregorius M. & Thomas interpretantur simpliciores aut laicos; quia minores: qui significantur per asinos, debent in credendis coherere maioribus, qui per boves significantur: ut loquitur Thomas. 22. qu. 2. art. 6. A quo non abludit dictum abbatis celeberrimi monasterii Neuhusani in Vangionibus (referente Sculteto in decade 1. annal. Euangelii, &c. renovati ad ann. 1517. pag. 15.) Si, inquebat, Lutherus non venisset, se persuasuros fuisse populo, ut fœnum comedissent.

Confestur. Hinc considerandum, quantum laicis & clericis secularibus, fidelitatem promittentibus & jurantibus, Respublicæ reformatæ fidere possint. De quo in 2. part. sel. disp. tit. de Sede Romanâ incompatibili, &c.

- S. 3. II. Obedientia cœca specialis est regularium seu monachorum; qui solenne votum emittunt de eâ superioribus præstandâ. De quo voto alibi agitur: ubi de monachatu. Hæc obedientia speciali titulo indigitatur sancta: & hinc superiores regularium peculiari ratione & jurisdictione aliquid præcipere possunt ac solent in virtute spiritus sancti, & in virtute sanctæ obedientiæ. Quomodo autem, quibus, quo ordine, quousque, & in quibus regulares teneantur obedire, fastidiosè disquirunt Azorius tom. 1. lib. 12. cap. 13. & imprimis Thomas Sanchez tom. 2. operis moralis lib. 6. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Quas operosas nugas huc non adducimus; sed ex iis proposito nostro sufficiunt indicanda ipsis ibid. laudata præcepta veterum sanctorum abbatum, qui monachis sibi subditis præcipiebant difficillima, ridicula, & per naturam impossibilia, immo quandoque etiam juri naturæ contraria: uti loquitur Sanchez cap. 2. S. 4. Exempla habet Cassianus lib. 4. de Instit. Monachor. cap. 24. - 28. & ex iis aliqua refert Hospinianus de Monachis cap. 9. pag. 60. & Sanchez loco modo cit. ubi ea defendere conatur, sed conscientia trepidante. Unum solummodo speciminis gratiâ hic refero, de patris cum filio. lo octenni monasterii & religionis ingressum postulantis exploratâ ante admissionem absolutâ obedientiâ, & quidem contra jura naturæ. Præcipiebat Abbas ut pater filiolum projiceret in flumen, & ut monachi eundem ante oculos patris colaphizarent. Pater deportando eum ad flumen cœcam obedientiam, & æquo animo spectando ac ferendo ejusdem colaphizationem, perfectionis monachalis patientiam ostendit. Sed quid de ejusmodi

explorationibus & probationibus particularibus recensendis laboro? Universalis regula, religio, institutio monastica cœcam hanc obedientiam iis dicat, & vitæ contemplativæ substernit. Debent enim renuntiare (in ordine scil. ad superiores suos) *propria voluntati, proprio iudicio, sui ipsius regimini*. Sic Petrus à S. Andomaro Benedictinus, in tabellâ subjectâ Institutionibus monasticis secundum Trident. concilii decreta, & tribus concionibus ad monasticam professos anno 1584. Coloniae apud Cholinum editis, & ab A. Masio decano Namurcensi non sine elogio approbatis. Constituit ibi religionis monasticæ partes quinque, *abnegationem, paupertatem, castitatem, obedientiam, contemplationem*. Per obedientiam dicit renuntiare *proprio iudicio*: quod nihil aliud est quam cœcam & brutalem obedientiam, ex vi voti, professionis, & religionis monachalis, iis imponere: quippe cuius finis sit (ut ibid. loquitur) *unio cum Deo, seu divina caritatis perfectio*.

III. *Cæca obedientia specialissima est Lojolitica*. Maffejus in vitâ Ignatii S. 4. lib. 3. cap. 7. refert Ignatium ad sapientem sanctamque cœca obedientiæ stulticiam, suos instruxisse. Ipse Ignatius in epistolâ de virtute Obedientiæ ad socios & filios Lusitanæ sect. 10. vocat *obedientiæ cæcæ simplicitatem*. Et sect. 18. „hortatur eos, ut sicuti ad credenda, quæ catholica fides proponit, toto „animo assensuque suo statim incumbabant, sic ad ea facienda quæ superior dixerit *cæco quodam impetu voluntatis* parendi cupidæ sine ullâ prorsus disquisitione ferrentur. Ibid. sect. 3. „ult societatis suam germanam sobolem verâ perfectâque obedientiâ, & abdicatione voluntatis ac iudicii quasi notâ distingui. Vide quid dicat Apostolus Rom. 1. v. 24. de *adducere nos*, id est, mente iudicii experte. Maphæus loc. cit. refert Ignatium docuisse suos, prudentiam non esse obedientis, sed imperantis. Hæc scil. prudentia iustorum Luc. 1. v. 17. & imperata prudentia serpentum Math. 10. & præceptum Apostoli Ephes. 5. v. 15. *Μὴ ὡς ἄνθρωποι ἀλλ' ὡς ὁ Θεός*. Et ipse Ignatius epist. cit. sect. 7. Tunc liberum arbitrium nostrum à quo accepimus, eidem (Deo scil.) per obedientiam plenam reddimus. „Ibid. sect. 10. Non esse ambigendum, „expediat nec ne facere quod iubemur; quia perit illa obedientia cæca simplicitas, cum apud nos ipsos in quæstionem vocamus, rectene præcipiantur an secus. Ibid. sect. 10. credendum esse, quod tali cœcâ obedientiâ & cœco impetu egerit Abrahamus filium Isaac mactare iussus. Ibid. sect. 5. Infirmam valde & imperfectam esse illam obedientiæ formam, quæ mandata duntaxat opere exequitur; nec virtutis nomine dignam nisi ad alterum gradum ascendit, qui voluntatem superioris suam efficiat & cum eâ ita concordet, ut non solum in affectu executio appareat, verum etiam in effectu consensus; sicque idem velit uterque, idem nolit. Adeo ut cum Jesuita ordini Ignatia-

no adscribitur, illico in virtute illius sanctæ obedientiæ in bestiam transformari videatur, illique aptari illud de Lycaone cantatum Ovidio 1. Metamorphos.

In villos abeunt vestes, in crura lacerti:

Fit lupus & veteris servat vestigia forma, &c.

Et uti de assistentibus ita dictis & patribus professis (quos descriptos vide in *hist. Jesuiticâ Hasenmulleri*) illud vulgatum: *Jesuita est omnis homo*; sic de Jesuitis novitiis aliisque minorum gentium mystis non immerito suo modo dici posset, *Jesuita est omnis bestia*. Ratio hujus metamorphosios apud Ignatium sect. 8. quia superiorum voluntatem pro divinâ ducere debent. Ibid. sect. 3. iisque non obtemperandum esse propterea, quod prudentiâ, bonitate cæterisque quibuslibet donis ornati iustruque sint: sed ob id solum, quod vices gerant Dei, ejusdemque autoritate fungantur, qui dicit, *Qui vos audit me audit*. Ibid. sect. 17. & quia in personâ superioris cognoscere debent ipsum Christum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui nec decipi potest, nec vos vult ipse decipere. Et sect. 11. Statuere debent secum, quidquid superior precipit, ipsius Dei præceptum esse, & voluntatem. Mapheus lib. 2. cap. 9. refert Ignatium cum sociis judicasse deligendum esse, cui omnes in terris tanquam Christo parerent, cujus in verba jurarent, denique cujus sibi nutum & voluntatem, instar divini cujusdam oraculi ducerent.

Horrenda hæc sua dictata excusare nequeunt per exceptionem, quâ semper excipitur aut excipi subintelligitur peccatum contra Dei legem, si forte illud à superioribus præcipi contingeret: uti *Gretserus in Stigmate Misenico* seu in *scripto c. Stenium* Græcæ linguæ professorem Heidelbergensem, citat hanc regulæ à Stenio objectæ limitationem: *In omnibus obtemperandum esse, ubi peccatum non cernitur*. Nulli enim inferiori licet cernere, discernere, judicare supra aut contra superiorem suum aliquid mandantem, hoc quod mandatur esse peccatum. *Cæca obedientia simplicitas, cæcus voluntatis impetus, cæca obedientia stultitia, vacuitas omnis prudentia, abdicatio voluntatis & judicii, præjudicium de omni præcepto superioris, quod sit Dei præceptum*, planè *d'ordinaire* sunt cum judicio discretionis circa actus imperati bonitatem aut malitiam moralem. Ne quidem suspicio aut dubitatio ulla de peccato in exequendo mandato Dei *Genes. 22.* cum *Hebr. 11. v. 8. 17.* Abrahamo erat licita; nedum, ut peremptoria judicii practici determinatio: similiter nec Jesuitis in exequendo superiorum mandato, qualecunque illud sit. Hoc ex citatis Jesuiticæ religionis dictatis nimis liquidum est. Nec minus ex regulis societatis part. 3. cap. 1. quod qui sub obedientiâ vivunt se ferri & regi à divinâ providentiâ per superiores suos sinere debent, perinde ac si CADAVER essent, &c. vel similiter ac senis BACULUS, &c. Quibus adde

ante-

antecedentia : quod sanctam obedientiam omnes observare & in eâ excellere student, nec solum in rebus obligatoriis, sed etiam in aliâ, licet NIHIL QUAM SIGNUM VOLUNTATIS SUPERIORIS SINE ULLO PRÆCEPTO VIDERETUR. Ibidem : ut sancta obedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu sit nobis omni ex parte perfecta, &c. omnia iusta esse nobis persuadendo, omnem sententiam ac iudicium nostrum contrarium cœcâ quâdam obedientia abnegando. Glossa ad hanc regulam : Et est imperfecta ea obedientia, in quâ præter executionem non est hac ejusdem voluntatis & sententia consensio. Et quid quæso cernet aut discernet, qui oculum mentis ac iudicii hâc ratione eruit aut obregit? Videat, cui placet, impiæ hujus obedientiæ Jesuitas simulantes in quâdam petitione ad Regem, manifestè convictos lib. 2. catechismi Jesuitici cap. 17. & 18. Conferri possunt scriptores de Jesuitis Hasenmullerus, Hospinianus, Ludov. Lucius, Mystera patrum Jesuitarum, Anonymi acutus libellus de Monarchia Soli-ipsorum, & alterius eruditi anonymi Conclave Ignatii, &c. & ex ipsis Pontificiis Arnaldus, Martelrie, Anonymi theologia moralis Jesuitarum. Vivum omnium istorum commentarium præstat quotidiana Jesuitarum praxis.

Nos specimen unum atque alterum progymnasmatum ad dictam obedientiam hic indicamus. Mapheus lib. 3. cap. 7. Ignatius ad sapientem hanc sanctamque stultitiam cœca, ut ipse appellabat, obedientia : suos ut essent ad seria & subita promptiores, interdum etiam fictis in rebus erudiebat. Sacerdos quidam edito signo paratus ad sacrificium & calicem tenens, &c. per nuntium ab Ignatio, qui totam rem è propinquo observabat, repente jubetur, sacro deposito ornatu, pallium sumere prodeundi causâ, &c. Ille cum è vestigio pareret, dixit ei Ignatius, se in præsentî illo opus non habuisse, sed periclitandi obsequii gratiâ, id fecisse de industriâ. Addebat, & sic habeto, plus te sacrificio deserendo esse meritum, quam si id ipsum, ut destinaveras, ilico peregisses, &c. ut scriptum legimus, Melior est obedientia, quam victima. Hasenmullerus in histor. Jesuiticâ cap. 6. p. 139. refert aliquot exempla, quibus Jesuitæ præceptores suis declarare solent cœcam obedientiam, ut palum scilicet cum iussus quis riget per integrum annum, ut solus rupem conetur tollere, quam centum boves non potuissent loco movere, ut aquam profundissimam ingrediatur, ut sævam leonem adducat. Ibid. refert ex lib. de obedientiâ, Ignatium obedientiam depinxisse similibus cæci, statue, cadaveris, cere, baculi, mortui. Ibid. pag. 145. narrat Jac. Crusium Lanspergensium novitiorum Rectorem anno 1584. 14. Febr. in explicatione regularum sic eos docuisse, Noster, inquit, decalogus est regula votorum ab Ignatio Lojolâ tradita. Tursellinus in vitâ Xaverii lib. 6. cap. 25. refert eum iussisse

suos, ut se totos hominum Dei personam gerentium arbitrio permitterent, ratos OMNIBUS in rebus præcipiendis eam eis mentem divinam datum iri, quæ plus & Deo honoris, & ipsis commodi esset paritura. In pompatico illo volumine tit. Imago primi sæculi societatis Jesu edito anno 1640. lib. 6. p. 919. obedientia hæc comparatur primo mobili, & lib. 1. p. 190. obediens sphaera, quæ facile in omnem partem movetur.

Sed ne studiosos nostros hæc referendo nausæa nimis torqueam, ablego istorum curiosos ad dictam imaginem primi sæculi lib. 3. p. 405. lib. 6. p. 915. lib. 1. c. 9. Rivos claudam si modo unicum exemplum adjecero, quo supererogatoriæ perfectionis supererogationem ostendebat Ignatius, cum aliquando (referente *Mapheo*, lib. 3. cap. 7.) ab imperito medico pene siti & calore exstingeretur, ex præcepto tamen se intra fomenta calida contineret, & cum arderet siti, nihil tamen peteret, & cum discrucia- retur doloribus acerbissimis, nullam vocem ederet, atque ita suffocatus fuisset, ni alius medicus à sodalibus accitus, contraria ratione eum cura- sset, postquam obedientiæ meritis auctus fuisset. En tibi miracula meritum virtutis supererogatoriæ obedientiæ, & sanctæ cœcitatæ ac stultitiæ, non tantum patri Rectori, aut patri assistenti, aut patri professo, aut generali, aut Jovi Romano, sed & cuivis infelicissimo Hippocratis pullo præstandæ. Sed huic austeri tortoris tragico-comœdiæ, addamus hanc lætioris obe- dientiæ comœdiam, à mitiori Medico actam; qui eidem Ignatio præscribe- bat ut tempore quadragesimæ ipsa feriâ sanctioris hebdomadæ (id est, bono die Veneris) pullo gallinaceo se reficeret: quod in virtute obedientiæ sive medicæ sive stomachi & palati, faciebat, dicendo, *Atqui obediendum est*; referente *Mapheo*. Quantam transgrediendi tantum ecclesiæ præceptum, ut potius medico, stomacho, palato obediret, necessitatem, morbi gravi- tas illi attulerit, dicere nequeo. Hoc saltem scio millenos pauperes, & te- nuioris fortunæ homines talem obedientiæ perfectionem, etiam absque præcepto medici imitatu- ros, si modo pullus gallinaceus loco jentaculi ipsi apponeretur.

§. 5. Indicemus nunc breviter rationes, absque proluxâ explicatione & dedu- ctione, ut chartæ & rationi thesum consulamus: omnibus argumentorum copiis, quibus monstrum hoc obedientiæ oppugnetur, quasi in unum ar- gumentum generale, quod sit instar rubricæ, & archetypi, contractis; Unde illud in particularia facile dispelci possit.

Sit ergo hoc argumentum generale: Illicita est cœca obedientia & pos- tulanti eam, & promittenti ac præstanti eandem: Quia repugnat doctri- næ communi ex jure divino & ratione naturali ab omnibus philosophis & theologis, cujuscunque ætatis & professionis hæctenus traditæ & receptæ

in libris de casibus conscientiarum, & in commentariis ad *Thoma* 1. 2. & in *Aristot. Ethica ad Nicomach. lib. 3.* ubi agitur de bonitate & malitia morali, de discrimine honesti & turpis, liciti & illiciti, de actionum humanarum moralitate, principiis & regulis, recta scilicet ratione, libero arbitrio seu libertate voluntatis, synteresi, conscientia, ejusque examine, ad hanc de prudentia circa τὸ πρᾶξι, de consilio, de lege divina, naturali, humana. Adde hic peculiare tractatus de legibus, de conscientia. Dispecamus nunc in particularia argumenta: quorum alia ducuntur ex parte obedientium, alia ex parte imperantium, alia ex absurdis consequentibus.

Primi generis sunt ista. I. Argum. Omnes actiones rationales seu humane debent subjacere recte rationi, eique conformes esse; & consequenter non sine judicio practico, sine consilio, sine attentione ad facta sua, eorumque ad synteresim, conscientiam, legem reductione. Vide *Psalm. 119. v. 6. 9. 59.* Recte communis & quasi authenticus ipsorum magister *Thomas in quest. disputatis tit. de Veritate subtit. de conscientia artic. 5.* ubi probat conscientiam in indifferentibus plus ligare quam præceptum prælati: & ad 3. object. sic respondet: *Quamvis prælatus sit superior subdito, tamen Deus, sub cuius præcepti specie ligat conscientia, est maior quam prælatus.* Ibid. in resp. ad 4. object. *Subditus non habet judicare de præcepto prælati, sed de impletione præcepti, quæ ad ipsum spectat. Unusquisque enim tenetur actus suos examinare* (N. B.) *ad scientiam quam à Deo habet, sive sit naturalis, sive acquisita, sive infusa: omnis enim homo debet secundum rationem agere.* Huc facit argumentum ad hominem desumptum ex determinatione Casuistarum *Pesantii, Malderi, Sylvii, Bassei*, cum quibus ex Jesuitis faciunt *Vasquez in 1. 2. disp. 60. c. 1.* Et *Bresserus lib. 5. de conscientia cap. 21.* qui vocat hanc sententiam communem, & ex professo pro eâ disputat: quod conscientia invincibiliter erronea circa legem aliquam naturalem magis obliget, quam mandatum superioris. Quin & nostras *Hadrianus Florentinus* (postea Papa) in quodlibetis quodl. 2. puncto 3. statuit, subditum non posse obedire superiori contra propriam opinionem, Idem puncto 2. cum Jesuitis *Vasquez ad 1. 2. disp. 66. cap. 9. num. 51.* & *Joh. de Salas à Bressero lib. 4. cap. 14.* citatis negantem superioribus obediendum esse, in dubio ex parte rei præceptæ, an scilicet excedat potestatem præcipientis & sit licita. Quæ omnia quomodo cum sacrâ Ignatii stultitiâ & cœcitate conciliari possint, ipsi viderint.

II. Argum. Obedientes debent in istis & omnibus aliis actionibus suis videre, quomodo ἀρετῶς ambulent, καὶ ὡς ἀσφοί, ἀλλὰ ὡς σίφοι *Eph. 5. v. 16.* debent esse prudentes ut serpentes *Matth. 10.* Debent omnia probare, & discernere τὸ διαφίερα. *1 Thess. 5. Rom. 2.* Debent magis magisque

190 DE COECA OBEDIENTIA PAPISTARUM.

crefcere in fpirituâ cognitione, iudicio, difcretione *Philipp. 1. Coloff. 1. 2. Ecclef. 2. v. 14.* Debent oculos habere in capite, & fapientia paffim in proverbiiis laudatur. *Prov. 2. &c. contra ftultitia, hebetudo, fimplicitas, vituperatur Deuter. 32. v. 6. 28. 29. Prov. 22. & 24.* Atqui omnia hæc cum obedientiâ sanctâque Ignatii ftultitia funt *et c.*

III. *Argum.* Homines omnia debent facere quæ faciunt, ad gloriam Dei, juxta *1 Cor. 10.* non *materialiter* tantum, uti omnes aliæ creaturæ irracionales, quæ agunt propter finem & ad ultimum finem à Deo diriguntur uti fagitta à fagittario ad fcopum, Deus enim omnia operatus eft propter feipfum *Prov. 16. v. 4.*; hinc etiam dicuntur, cœli enarrare gloriam Dei *Pfal. 19. fed formaliter*, quippe qui rationales funt & non tantum ab alio moventur, fed à fe. De quo *Scholastici ad 1. 2. qu. 1. art. 2.*

IV. *Argum.* Homines non debent effe fervi hominum *1 Cor. 7. v. 23.* Quod de obedientiâ & miniſteriis ex juſtitia aut charitate five ſuperiori, five æquali, five inferiori præſtandis intelligi nequit, cum Apoſtolus contrarium præſcribat *Ephes. 6. v. 5. Galat. 5. v. 13.*: ſed de ſubjectione animæ & confcientiæ ad ullum hominem.

V. *Argum.* Quia debent ſibi ipsis attendere *Actor. 20. v. 28.* ſibi cavere ab hominibus *Math. 10. v. 17.* nec amicis ac neceſſariis credere aut fidere *Mich. 7. v. 5.*

VI. *Argum.* Quia abnegatio noſtri ipsis infert renuntiationem & refignationem propriæ noſtræ voluntatis; non in ordine ad voluntatem aliorum hominum, quamvis ſuperiorum; ſed in ordine ad voluntatem Dei. *Math. 6. fiat voluntas tua, &c. & 10. verſ. 37. Qui patrem aut matrem diligit, &c. Luc. 14. v. 26. Si quis ad me veniat, & non odit patrem ſuum, &c. Deut. 35. v. 9. Qui patri ſuo & matri dicebat, &c.* Addi debent laudata exempla eorum qui ſuperioribus non obedierunt, *Dan. 3. & 6. 1 Sam. 22. v. 17. Actor. 4. & 5.* Huic abnegationi & refignationi Ignatiana obedientia directe repugnat.

VII. *Argum.* Homines non debent effe ſicut mulus *Pfal. 32. v. 9.* aut ſicut canis, qui ad nutum aut vocem poſſeſſoris currit, & quærit atque affert quod perditum dicitur & cœco impetu involat in quemcunque ab eodem poſſeſſore ſuo concitatur, &c. Nec eſt quod *excipiant*, ſingulas actiones omnium cœco impetu ſuperiores ſuos ſequentium effe rationales & ſpontaneas cum præelectione, ſi non actualiter ſaltem virtualiter: quia ſemel rationaliter & per ſpontaneam præelectionem votum abſolute & cœcæ obedientiæ emiſerunt. Nam ſingulæ actiones humanæ, ex objecto, fine, circumſtantiis ſunt moraliter bonæ aut malæ. Ad illa ergo cuilibet hu-

manas

DE COECA OBEDIENTIA PAPISTARUM. 191

manas actiones elicituro aut imperaturo, sigillatim attendendum, & iudicio practico determinandum est. Uti ex sequenti ratione evidentius constabit.

VIII. *Argum.* Quia Deus non approbat cœcum obsequium, si quæ mala imperentur, nec absolvit mala illa patrantem: quasi culpa tunc esset penes solum imperantem, & non penes obedientem. Quasique exemplo Adamî *Genes. 3. v. 12.* & Ethnicorum (dicentium *ἐπεὶ ἡμεῖς αἰνοῦμεν τὸν θεόν καὶ μέγα*) culpa in Deum conjici posset, qui tales superiores nobis dedit, nec à seductione præservavit. Uti hoc non obscure sequi videtur ex regulâ Ignatianâ (*Summ. constitut. Jesuit. Reg. 36.*) quæ dictat: *Debere eos apud animum suum statuere se moveri ac dirigi à divinâ voluntate & providentiâ, quoquo versus moventur ac diriguntur à suo superiore.* Audi contra *Apoc. 18. v. 4.* *Exite ex eâ, &c. Math. 15. v. 15. Si cæcus cæcum ducit, &c. Ezech. 3. v. 18. Impius in suâ injustitiâ morietur, sed sanguinem ejus, &c.* Videndum igitur quomodo audiamus *Luc. 8. v. 18.* nec oculi per affectatam cœcitatē claudendi. Concedo seductos excusari in tantum, nunquam vero in totum *Joh. 19. v. 11.*

IX. *Argum.* Quia nemo debet se exponere periculo factorum otiosorum, gravium peccatorum, immo & horrendorum flagitiorum: atqui qui voto talis obedientiæ se obstringit, tali periculo se exponit: uti experientia hoc docuit. Consulantur scriptores de Jesuitis. Quod est contra *1 Thessal. 5. v. 22. ab omni specie mali, &c. Judæ 5. v. 25. odio habentes tunicam Ephes. 5. v. 15. &c.* Confer supra *argum. 2. & 5.* Gerson in regulis moral. *Qui sciens se exponit discrimini peccati mortalis, peccat mortaliter.*

Sequuntur nunc argumenta desumpta ex parte superiorum seu imperantium.

X. *Argum.* Omnes superiores possunt errare, male judicare, peccare; quippe homines viatores: teste scripturâ & experientiâ. Quod hic non probatur, sed præsupponitur tanquam utrimque in confesso. Nunc applica illud ad superiores Jesuitarum. Quid? quod ipsi Pontificii concedunt Papam posse errare, alii in negotio fidei, alii saltem in præmissis licet non in conclusione, plerique in quæstionibus facti, omnes in moribus. Et cum omnes hoc fateri cogantur, contra conscientiam faciunt, qui hoc votum obedientiæ suadent, defendunt, eamque præstandam exigunt aut admittunt; nec minus pessime faciunt, qui eandem promittunt aut præstant.

XI. *Argum.* Quia absolutum imperium in hominis intellectum & voluntatem, nullus hominum cujuscunque conditionis aut status habet aut habere potest: sed solus Deus; & consequenter sine sacrilegio illud sibi arrogare.

rogare atque usurpare nequit; aut quisquam per absolutæ & cœcæ obedientiæ votum aut subjectionem eidem deferre. *Unus enim est legislator, qui potest servare & perdere*, Jacob. 4. v. 12. Unicus est, cui competit illud, *Quis tu es, qui respondes Deo*, &c. Rom. 9. v. 20. 21. 22. *An lutum dices plasmatori, quid facis*, &c. Jesa. 45. v. 9.

XII. *Argum.* Quia Prophetæ, Apostoli, quamvis doctores & superiores in rebus fidei infallibiles & *infallibles*, talem obedientiam, absque intercedente proprio obedientis judicio & examine, nec in fide, nec in moribus sibi tribui, & deferri voluerunt. 1 Cor. 11. v. 1. *Esote imitatores mei, sicut ego*, &c. 1 Cor. 10. v. 16. *tantum prudentibus vobis loquor, judicate vos, quod dico*. 1 Thessal. 5. 21. *Omnia probate*, &c. Beroënſes eo nomine laudantur *Actor.* 17. v. 11. Et hæc quidem in communi doctrinâ fidei, ubi erant infallibiles. Quanto magis judicium & discretio adhibenda in particularibus dictis, consiliis, mandatis eorundem in quotidianâ conversatione & hujus vitæ negotiis. Jam vero neminem puto esse superiorem in familiâ, in ecclesiâ, in politiâ, cujus mandatis major obedientia debeatur, quam Propheticis & Apostolicis.

XIII. *Argum.* Ductum à multis absurdis consequentibus: ex quibus nunc aliquot notamus. Si absoluta & cœca hæc obedientia tantopere probanda esset, sequeretur.

1. *Omnes martyres & confessores sub V. T. inter eos Moſen scil. Jeremiam, Eliam, Zachariam filium Jojadæ, Micham filium Jemla, aliosque Prophetas (Matth. 23. v. 37.), & sub N. T. Joh. Baptistam, Stephanum, Apostolos, & Ignatium, Justinum, Irenæum, Cyprianum, Chrysostomum, Athanasium, Hilarium, &c. aliosque innumeros usque in hunc diem virtute obedientiæ destitutos fuisse; quippe qui à superioribus prohibita omittere, præcepta implere detrectârunt.*

2. *Non tantum Pontifici juxta dictatum Juris Canonici dist. 4. c. Si Papa, etiam plaustra animarum secum ad gehennam ducenti, obloquendum non esse: sed nec ullis superioibus, imprimis ecclesiasticis, & inter eos regularibus, ut e. gr. mundanis episcopis, Epicureis Abbatibus, Machiavellicis patribus Jesuitarum Rectoribus, professis, assistentibus. Quandoquidem & in illis ac eorum mandatis debent videre Christum ejusque mandatum.*

3. *Etiâ medicos quosvis quamvis imperitissimos, quamvis Ethnicos Galenos, Muhammedicos Avicennas, Judæos Maymonidas in mandatis suis repræsentare Christum; iisque tanquam Christo in ipsis mandanti absolute obediendum esse, usque ad nostri suffocationem? siquidem vivam obedientiæ imaginem, h. e. Ignatium, imitari velimus.*

4. Eandem aut æqualem obedientiam deberi superioribus, quæ Deo. Huic enim debetur obedientia absoluta, absque ullâ dubitatione, aut disceptatione, tanquam primæ ac perfectæ veritati & bonitati. Talem obedientiam ostendit Abraham *Gen. 22.* cum *Rom. 4.* Et si eadem aut æqualis obedientia præstanda superiori, quia Christum in eo videre debemus; sequitur eidem parem honorem, timorem, amorem simul deferendum. Qualis enim & quanta obedientia, talis & tantus honor, timor, amor. Atqui hoc absurdum.

5. In ordine ad superiores, præsertim regulares, eorumque mandata, omnes actus rectæ rationis, iudicii practici, synteresios, conscientiæ, consilii, prudentiæ, sapientiæ Theologicæ, Ethicæ, Politicæ & jurisprudentiæ, etiam canonicæ, tantisper debere cessare; illisque substituendum solum illud asinum Pythagoreorum principium principiorum: *αὐτὸς ἐφα.*

6. *Regimen hominum non esse artem artium & scientiam scientiarum;* quod tamen docet experientia, & quævis scripta politica, etiam pseudo-politica Machiavellica. Nazianzenus autor celebris dicti modo citati in suo apologetico, hanc rationem adducit, quod homo sit *animantium omnium versutissimus & maximè varius.* Sed hæc ratio nulla est, siquidem qui regitur non differat à stipite, aut bruto, (saltem in actu secundo & in exercitio) & à superiori se agi ac duci sinat, quocunque voluerit, secundum Theologiam Ignatianam.

7. *Nihil certi, nihil tuti fore in societate politicâ, ubi subditi aliqui juxta regulas hujus obedientiæ & votum à se emissum, duci aut agi se patiuntur à superioribus regularibus instar stipitis, canis, equi, &c.* A quibus enim prodicionibus, paricidiis, flagitiis perpetrandis per jus divinum, naturale, civile, per juramentum fidelitatis absterrebuntur; si modo superiores regulares aliter voluerint. Eos autem talia voluisse, & velle posse clamat experientia, & tot collectanea de Jesuitis publice edita: quorum aliqua supra indicavimus. Concludo decantato illo disticho Æneæ Sylvii, postea Pape Pii II.

Non audet stygius Pluto tentare, quod audet

Effrenis monachos, plenaque fraudis anus.

Paucula quæ restant cum problematis aliquot huic controversiæ affinis sequenti parti reservamus.

DE COECA OBEDIENTIA PAPISTARUM.

P A R S A L T E R A.

Resp. JOHANNE de BRAEY, Sactwico Britanno. 19. Febr. 1662.

Refutatâ obedientiâ Papificâ, præsertim Monachali & Lojoliticâ, restant aliquot problemata ex iisdem hypothesibus & rationibus contra cæcitatem hanc allatis analogicè determinanda.

I.  Robl. An cuiquam homini viatori erroribus & peccatis obnoxio in omnibus, quæ mandaturus est, absoluta obedientia sit promittenda, deferenda, præstanda? Resp. Neg. Quia malum, cujus præstationem præcipere posset, nullo modo est eligendum. Nec homo per mandatum quorumcunque hominum, etiam superiorum à peccato magis excusari potest, quam Adamus prætexendo culpæ suæ: Mulier quam dedisti, ut esset mecum, ipsa dedit mihi, &c. Gen. 3. v. 12. Semper ergo universales seu indefinitæ promissiones & juramenta de obedientiâ hominibus præstandâ conditionem & exceptionem hanc sive expressam sive subintellectam habent & habere debent. Si quidem factum mihi impositum Deo aut divine legi non repugnet. Idque nititur duobus axiomatis, certissimæ veritatis principiis, quorum prius, Non est enim homo, qui non peccet, 1 Reg. 8. v. 46. posterius, obedire oportet Deo magis, quam hominibus, Actor. 5. v. 29. Rationes plures supeditabit seqq. quæstionum particularium determinatio.

II. Probl. An absolutâ & cæcâ in omnibus obedientiâ, obedire quis teneatur parentibus suis aut iis qui sunt loco parentum? Resp. Neg. quia additur restrictio: Ephes. 6. v. 1. Filii obedite parentibus vestris in domino. Et Deut. 33. v. 9. laudatur Levita, qui dicit patri suo, & matri suæ, non vidi eum, & fratres suos non agnovit, & filios suos non cognovit, &c. Et Luc. 14. v. 26. Si quis venit ad me, nec odit patrem suum, ac matrem, & uxorem, & filios & fratres, & sorores, præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Matth. 10. v. 37. Qui diligit patrem & matrem supra me, non est me dignus. Adde laudata exempla Abrahami, qui domum paternam deseruit in cultu idololatræ, & Timothei qui patri Gentili, & Jonathanis qui patri Sauli non obediit.

III. Probl. An talem obedientiam teneatur quis præstare præceptoribus? Resp. Neg.

Neg. Laudatum est exemplum Pauli, qui conversus non obedivit Gama-
lieli & præceptoribus in Judaismo, contra Christum. Huc referri possunt
exempla Nazianzeni & Basilii, qui præceptore usi Libanio Sophista, in
defensione Gentilismi eum non sectabantur. Peccabant in excessu discipuli
Pythagoræ, quibus τὸ ἀντὶ τῆς ἐκείνου demonstrationem præstabat. Sed in defectu
peccant, qui cum vix ex tyrociniiis theologiæ emerferunt, aut simulac sine
cortice natæ se posse putant, præceptorum suorum quævis dictata, bene &
convenienter scripturis tradita, contemnunt & explodunt: eo ipso quod
antehac tradita, & à se primum inventa aut dicta non sint: aut quod præ-
senti foro & mutatis rerum vicibus minus inserviant. Quales indoctos &
instabiles, verbum Dei cauponantes, describi puto 2. Petr. 3. v. 16. & 2.
v. 14. Eph. 4. v. 14. 2. Cor. 2. v. 17. & 3. v. 2. Rom. 16. v. 17. 18.

IV. *Probl. An possit eam præstare & promittere amicis ac necessariis?*
Resp. Neg. Quia hic limitationes illæ addi aut subintelligi debent: *A-*
micus sed usque ad aras. Et, *tuus omni officio, & in omnibus, quamdiu tu*
Dei. Et hoc ostendit Paulus, cum Petro co-Apостоło resisteret in faciem
Galat. 2.

V. *Probl. An superioribus regularibus?* *Resp. Neg. primo*, ob rationes su-
pra part. 1. allatas, & huc applicandas. *Deinde*, quia non entis nulla est
affectio. Tales votivi superiores non sunt, saltem non debent esse (uti in
quæst. de Monachatu, alibi probatum est): consequenter, si non sunt, nul-
la obedientia illis debetur; nedum ut obedientia cœca aut absoluta de-
beretur.

VI. *Probl. An superioribus ecclesiasticis?* *Resp.* Superiores illi aut jure seu
more humano ecclesiis & ministris ecclesiasticis præsunt, ut episcopi & ar-
chiepiscopi; aut jure divino, quales sigillatim considerati sunt cujusque ec-
clesiæ pastores, presbyteri, Doctores; & collectim presbyteria & syno-
di. De cœcâ obedientia illis præstandâ, absolute *Neg.* de conditiona-
tâ & rationali obedientiâ, seu potius subjectione ac passivâ subordina-
tione, siquidem quod mandatur, non repugnet juri divino aut na-
turali, conceditur. Quia ita habet jus divinum Hebr. 13. v. 17. *obe-*
dite ductoribus vestris, &c. Matth. 23. v. 3. *omnia quæ dixerint vobis, ut*
servetis, &c. Peccant ergo in excessu laici (ita dicti), & clerici in Pa-
patu, si qui fide implicitâ, & absolutâ, cœcâ obedientiâ subjiciunt se su-
perioribus ecclesiasticis, & conciliis. Ab alterâ parte, in defectu peccant
multi, qui reformatæ religionis professione hominibus magis student pla-
cere quam Deo, præsertim illi; qui plura domi vident, quam fideles
tenuioris conditionis in hoc sæculo, quique hoc unice verbis, consiliis, fa-
ctis agere videntur, ne in quoquam adstudium bonæ conscientiæ & pru-

dentiam justorum maximè utili, præpositis suis obedire videantur: immò qui omni modo eos deprimere, infra vilissimos terræ filios detrudere & omni autoritate ac potestate divinitus ipsis concessâ exuere satagunt; idque non pudet eos apertè profiteri, de eo gloriari, alios ad simile peccatum quasi factâ conspiratione incitare. Hinc est quod instar Jeroboami vilissimos, hoc est ignarissimos, ignavissimos promotos malint; quo iisdem tantò facilius tanquam morionibus, aut mancipiis, aut famelicis parasitis suis inequitare possint. Tales sectatores Corah, Dathan, & Abiram, amandandi essent ad Deut. 33. v. 11. *Benedic domine substantiæ ejus* (Levi), &c. *transfige lumbos inimicorum ejus*, &c. Et sententiam summi judicis, Matth. 10. v. 40. *Qui vos recipit, me recipit*, &c. Qui enim spernit legatum, spernit principem: jam vero pastores legatione funguntur 2 Cor. 5. v. 20. sunt ministri Christi & dispensatores, &c. 1 Cor. 4. v. 1. sunt Angeli Apoc. 2. & 3. Serius aut citius vindicat Deus contemptum servorum suorum; non minus, ac David vindicabat ignominiam, quâ legati ipsius à rege Ammonitarum affecti erant 2 Sam. 10. v. 3. 5. 7. Vide plagas, quas Deus comminatur Jerem. 44. v. 27. 28. Judæis illis qui dixerant prophetæ ibid. v. 16. 17. *In verbo quod locutus es ad nos in nomine domini, hanc paremus tibi. Sed faciendo faciemus omne verbum, quod egressum est de ore nostro.* Quas vero plagas putabimus iis paratas, qui non modo audire & obedire nolunt, sed insuper legatis Dei silentium imponunt, aut illis regulas hoc aut illud prædicandi, aut non prædicandi præscribunt?

Prioris exemplum dabat Rex Amasia 2 Paral. 25. v. 16. Quod certissimum signum perditionis illi fuisse ibid. v. 16. denuntiatur.

Posterioris exempla dabat Rex Achab, qui Prophetas, etiam Micham non sustinebat audire, nisi cum restrictione, ne mala illi prænuntiaret 1 Reg. 22. v. 8. Et Herodes, qui non renuebat audire Johannem Baptistam, sed hæc cum restrictione, ne taxaret incestum, raptum, & adulterium suum, dicendo. *Non licet tibi habere eam, scilicet uxorem fratris tui.* Matth. 14. v. 4. Et Judæi, qui à Jeremiæ Prophetia abscissam volebant taxationem peccati perfidiæ & violati fœderis, & suasionem ut se dederent regi Chaldæorum. Exempli non pauca suppeditat historia ecclesiastica. Sic tempore Arrianorum frenum limitationis orthodoxæ confessioni & prædicationi juxta formulam ecclesiasticè à Concilio Niceno decretam, & politica autoritate munitam ac confirmatam, specie ac prætextu moderationis & pacis injicere conabantur. Tempore reformationis Carolus V. celebrato Interim, protestantium ac reformationis confessionem, prædicationem, religionem circumscriptam volebat. Remonstrantium factio anno 1612. 1614. 1617. brachio seculari abusa simili limitatione, contra omnem Ordinem ecclesiasticum,

ficum, ecclesias cum orthodoxis ministris vexabat & premebat: sed quo eventu & quo bono suo, dies postea docuit, Sed de his forte alibi. Interim expendatur, plerumque eo quem puniri, quo peccavit, & ut spoliari ab aliis, qui alios spoliavit *Jesa. 33. v. 1.* ita peccata peccatis puniendo; & permissio scelere rebellionis, seditionis, &c. à domesticis aut subditis perpetrando ulciscitur rebellionem sacram, & contemptum præpositorum seu ductorum in ecclesiâ. *Quâ enim mensurâ metimini, contra metietur vobis Math. 7.* Hæc lex talionis divinæ, quam agnoscebat Adonibezek *Jud. 1. v. 7.* & docent tragica exempla regum Cananeorum, de quibus *Pl. 105. v. 14. corripuit propter eos reges. Ne tangatis unctos meos, & Prophetis meis ne male faciatis*; Et exempla regum Joas 2 *Paral. 24. v. 25.* cum 2 *Reg. 12. v. 21. 22.* Nadab 1 *Reg. 15. v. 27.* Ela 1 *Reg. 16. v. 9.* Zimri *ibid. vers. 18. 19.* Idem Deus qui præcepit, *obedite parentibus vestris Ephes. 6. v. 1.* &, *Omnis anima potestatibus præcellentibus subdita sit Rom. 13. v. 1.* etiam præcepit, *Obedite ductoribus vestris, &c. Hebr. 13. v. 17.* additis ibidem gravissimis hujus præcepti rationibus. Idem præscripsit 1 *Thessal. 5. v. 12. 13.* Ut agnoscant eos qui laborant inter ipsos, & qui præ sunt ipsis in domino, & admonent eos, ut habeant illos in existimatione per charitatem propter opus illorum, &c. Uti nubes judiciorum Dei & exemplorum tragicorum ex omni ævo cogi potest contra rebellionem in parentes, dominos, Magistratus: ita etiam non minor, sed forte major contra rebellionem in legatos & ministros Christi.

VII. *Probl. Si antecessores ecclesiastici etiam coeuntes in synodum, contra Dei præceptum quid imponant, quid tali in casu agendum? Resp. 1. Concl. Si quid imponitur tibi dicendum, aut faciendum, aut promittendum sive vivâ voce sive scripto, forte etiam interposito juramento, contra doctrinam, seu contra dogmata fidei aut morum: resistendum est negativè, dicendo, non faciam, aut nolo, aut absit ut hoc faciam, aut non possum per conscientiam: Sive synedria, sive concilia, sive comitia politica, sive reges & principes hoc imponant. Perpetua & invicta est regula, obediendum esse Deo magis quam hominibus. Pone e. gr. casum, si synodus aliqua doctrinam de præsentia & manducatione Christi corporali in coenâ, aut de peccato aleæ, chorearum & ballettarum, profanationis Sabbathi, tanquam non-peccata & adiaphora profitenda & prædicanda ministris aut ministro alicui imponeret, aut receptionem scandalosi & impenitentis peccatoris (e. gr. sacrilegi, peculatoris, blasphemii, concubinarij, usurarij manifesti) ad coenæ communionem mandaret: an parendum? Minimè. *Nihil enim possumus contra veritatem 2 Cor. 13. v. 8.* Et inhærendum aureo & pervulgato illi dicto Panormitani (quod alii etiam Gersoni attribuant.) Potius credendum esse uni laico veritatem dicenti cum Evangelio, quam toti concilio contra Evangelium determinan-*

ti. Ita orthodoxi tempore Arrianorum decretis & actis concilii Tyii, Syriacensis, Antiocheni, Seleuciensis, &c. non obtemperarunt. Vide Antagonistas Papatus, in controversiis, de Conciliis, & de iudicio controversiarum. Quod ad receptionem ad coenam, imitanda est fortius Ambrosii, qui Imperatorem Theodosium à communione arcebat; & Calvini, qui, teste *Bezà in ejus vitâ*, cum quidam scandalosus à Magistratu obtinuerat decretum de admissione sui ad coenam, pro concione protestabatur, se potius passurum ut dextera abscinderetur, quam ut eâ panem indigno illi porrigeret.

2. *Concl.* An vero errore aliquo in dogmatis ab antecessoribus, sive seorsim sive collegim synodaliter aut potioribus suffragiis recepto & publicè imposito, à talibus ecclesiis privato cuilibet fidei secedendum, aut saltem ministro ministerium deferendum, siquidem libertas publicè privatimque veritatem profitendi plane adempta non sit, alibi ex professo disquiritur, in quaestionibus de moderatione, tolerantia, syncretismo, secessione.

3. *Concl.* Silentium veritatis aut dogmatis, quamvis non *κατὰ* & fundamentalis, verbis, aut nutu, aut subsignatione, aut juramento promittere non licet: quamvis ecclesiae aut integræ synodi in errorem pertractæ, hoc decernerent. Aliud est simplicem veritatem textu & occasione ita ferente proponere: & aliud, oppositum errorem & *ἀντιθέσιν ἐνέχον*. Rursum aliud est subinde & aliquo *καί* liberè & prudenter absque ullo præjudicio ædificationis abstinere ab errore, aut peccato in thesi aut hypothesi taxando: & aliud perpetuum silentium promittere, præsertim solemnī subscriptione. Illud per prudentiam justorum aliquando licitum est: istud nunquam.

4. *Concl.* Quod ad rituum observationem, siquidem absolutè aut certo respectu sint adiaphori, quamvis nos malimus eos abesse, & in conscientia sentiamus eos nullum majus momentum ad ecclesiae in fide & pietate ædificationem allaturos, potest quis conscientia manente liberâ, ordini sine necessitate statuto se subicere, eumque observare potius; quam stationem in ecclesia deferere, aut scismati occasionem dare. Sed si ritus speciem mali habeant, aut symbolizent cum superstitione; nemo, quidquid urgeant inspectores ecclesiarum & synodi, eos observando contra conscientiam parere debet. Ex. gr. Imponantur ritus exorcismi, genuflexionis ad conspectum mensæ, & si qui sint ejusdem commatis. Minime omnium licet observationem eorundem seu conformitatem (uti appellant) subscriptione aut juramento promittere. Quo tamen nolumus dicere, privato fidei ab ecclesiae illius communione, in quâ hactenus perstitit, aut ministro à functione ministerii in illâ ecclesia discedendum: si quidem & quamdiu illi liceat immani esse à rituum illorum observatione.

5. *Concl.* Quod ad regimen aut modum regiminis, e. gr. hierarchicum, quod quis ex sacris literis convictus est, non esse juris divini, sed eidem repugnare: non potest huc usque ei obedire, ut approbet; aut ut subscriptione aut juramento promittat, se nec directè nec indirectè, nec publicè nec privatim quidquam facturum ad illius regiminis reformationem, sed contra omnia fideliter contributurum ad ejusdem stabiliendi aut jam stabiliti conservationem. Nihil agendum contra conscientiam Dei. Licitum tamen est; ut fideles in communione talis ecclesiæ viventes tantisper ministerio orthodoxorum ministrorum utantur, & ~~non~~ illud tolerant, quod tolli non potest. Præstat enim veram ecclesiam (quod ad dogmatum veritatem,) & exercitia pietatis in communione ejus habere, quam nulla. Ab alterâ parte non culpandum, si quis, absque schismate, ad ecclesiam in regimine & disciplinâ puriorem & magis reformatam transeat. Quod colligi posse videtur ex Philipp. 4. v. 8. *Quod reliquum est fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, &c.* De ministris difficilior est quæstio.

An tali in casu relicta sibi conscientia & necessaria ac prudentis professionis libertate, matrem ecclesiam nationalem aut provincialem, & propriam suam fidei sue commissam, potius deferere debeant, quam regimini illi obedientiâ tolerantia, donec Deus meliora, se subicere. Ego inclinarem in Neg. præsertim si metuendum sit, post discessum fidelium ministrorum, lupos aut mercenarios ingressuros; aut per pontem regiminis ac rituum ex Papatu relictorum heterodoxa dogmata cum tempore sensim sine sensu traducenda: uti in antiquæ ecclesiæ, & aliquarum orthodoxarum post reformationem prolapsu, experientia docuit. Vix enim immoderata contentio pro ceremoniis, aut pro regimine nunc possidente subsistit in parvo illo hiatu inter istam & alias ecclesias firmato.

Objicitur à Pontificiis pro autoritate conciliorum, Papæ, Episcoporum, capitulorum, aliorumque, si qui sunt, clericorum gubernantium, *Deuter. 17. v. 10. Hebr. 13. v. 17. Matth. 10. v. 14. & 18. v. 17. & 23. v. 2. Malach. 2. v. 7. Resp.* sed abunde à nostris in controversiis de fide implicita, de Papâ, de Conciliis, &c. ex collatis locis scripturæ, *Matth. 15. v. 14. & 16. v. 6. Malach. 2. v. 8. Hos. 2. v. 1. &c.* ostensum est, absolutam & coecam obedientiam, pastoribus & doctoribus minime deberi: ne quidem *θεοπροψον* stultam coecitatem deberi, tum in exemplis faciendorum, tum in doctrinâ credendorum. De illis vide *1 Cor. 11. v. 1.* coll. cum *Philipp. 3. v. 12. 13.* & exemplum Petri *Galat. 2. v. 14.* & mala exempla Prophetarum Abrahami, Jacobi, Moïsi, Davidis, Salomonis. De istâ vide *1 Cor. 10. v. 16. 1 Thessal. 5. v. 21. Act. 17. v. 21.*

VIII. *Probl. An servis, subditis, munerariis, inferioribus, Magistratibus & iudicibus, absque limitatione statuere convenit, Deum superioribus suis imperii auctoritatem dedisse, solius obsequii gloria sibi relicta? Resp. Neg.* servilem enim hæc nimis assentationem, & hyperbolicam humilitatis speciem præ se ferre, ac cum refutatâ à nobis coecâ absolutâque obedientiâ haut obscurè videntur *συμβολίζαν*. Quosunque illud dedeceat, maximè omnium eos, qui audiunt antecessores, ductores, patres, dispensatores, legati Christi, à quorum ore lex postulanda est. Neque enim officia pietatis, & caritatis erga Deum & proximum ob arbitrium aut mandatum aut postulatum honoratorum, fautorum, amicorum, optimatum, Magistratuum omittenda; nec quidquam scandalosi, periculosi, sanctæ vocationi indecori committendum, dum illis parere & placere studemus. Josephus non credebat *solius obsequii gloriam sibi relictam* respectu heræ suæ *Gen. 39. v. 9.* nec satellites Saulis respectu Regis sui *1 Sam. 22. v. 17.* Nec Apostoli respectu sanhedrim seu concilii *Act. 5. v. 21. 29.* Nec antiqui Christiani usque ad Constantinum respectu Imperatorum, Senatus, proconsulum; nec Waldenses respectu regum Galliarum, nec Hussitæ respectu Regum Bohemiæ, nec ulli reformati ministri respectu Imperatoris Caroli V. Philippi II. Belgarum tunc principis, &c. Quin contra viris Dei in rebus ad religionem, doctrinam fidei & morum, conscientiarum dextram informationem, ecclesiarum ædificationem, scandalorum præventionem, veritatis confessionem, ejusdemque opportunam & necessariam apologiam, disciplinæ ecclesiasticæ administrationem concernentibus, competit antecessores agere, Christi nomine mandata divina proponere, explicare, denuntiare, clavi scientiæ & regni coelorum sibi servatâ, relicta omnibus aliis, etiam optimatibus etiam magnatibus in hoc mundo, obedientiæ & obsequii gloriam juxta *Hebr. 13. v. 17. Obedite ductoribus vestris & obsecundate: excubant enim ipsi pro animabus vestris 2 Cor. 10. v. 4. 5. Arma enim militiæ nostræ, &c. ratiocinationes evertendo, omnemque sublimitatem qua sese extollit adversus cognitionem Dei; & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo.* Quod si hujus obsequii gloriæ portionem aliquam Gnatonibus applicare quis dignaretur, ilico cogitaret de hujus præsumpti axiomatis restrictione.

IX. *Probl. An absoluta & coeca obedientia debeat quibusvis principibus, & superioribus, sive potestatem illam usurpantibus, sive eâ tyrannicè abutentibus; quales e. gr. Nero, Domitianus, &c. Resp. De coecâ & absolutâ, Neg. ex regulâ Act. 5. laudatis exemplis Danielis 3. & 6. Sed de limitatâ & conditionatâ conceditur: Quandoquidem privatus fidelis & civis (qualis inter alios ecclesiæ minister in Republicâ;) quamvis in ecclesiâ publicus antecessor*

decessor & præfectus) potestatem politicam, aut iudicium publicum sibi non sumit: sed utitur potestate & potentiâ, quæ publicè & cum victoriâ obtinet; ab eâ defensionem contra injurias quorumcunque, & iudicium contra litigantes & adversarios necessario petit & expectat, ira ferente occasione. Quamvis enim ipse privato suo iudicio coram Deo in conscientiâ statuatur, aliquem usurpare & tyrannicè vindicare potestatem minimè sibi competentem, & injuriâ tum principes aut proceres, tum populum & totam Rempublicam afficere: quia tamen Deus ipsum non constituit iudicem in foro soli, qui publico & antecessorio iudicio hoc determinet; tutissimè neutralem & *ἀνεξέχου* se præstat, potentiæ vincenti locum dat, potestatem in tali personâ nunc locatam agnoscit, usum & executionem potestatis videt, tolerat, admittit: salvis & relictis suis cuique juribus.

X. *Probl. An contra ecclesiasticos sanctione censurarum munitos, aut contra magistratus leges pœnales unquam in foro conscientie quidquam committere, aut omittere liceat? Resp. Aff.* Hic præmittendæ definitiones legis humanæ, pœnæ, & legis pœnalis. *Lex humana est recta voluntas ejus, qui vicem populi gerit, voce aut scripto promulgata, cum intentione obligandi subditos ad parendum illi. Pœna est passio inferens nocumentum illam sustinenti, aut saltem apta ad inferendum, nisi aliunde inferatur, inscripta & contracta propter peccatum præteritum. Lex pœnalis est lex, quæ statuit pœnam alicui infligendam propter culpam commissam.* Has definitiones fusè explicuit & vindicavit, collatis scholasticorum opinionibus & rationibus, *Alphonfus à Castro Minorita in tract. de potestate legis pœnalis anno 1550. edito lib. 1. capp.*

1. 2. 3.

His præmissis sententiam nostram explicamus *seqq.* conclusionibus.

1. *Concl.* Ex probatis exemplis omnium confessorum & martyrum tum in scripturâ tum in historiâ ecclesiasticâ memoratorum constat potuisse fideles, immo debuisse in negotio religionis leges pœnales Imperatorum, Regum, Principum, iudicum, ad hæc Pontificum, conciliorum, præfectorum ecclesiasticorum transgredi. *Lex pœnalis prohibens* erat, ne quis Christum confiteretur, sub pœna *ἀποκρυψιας*, *Joh. 9. v. 22.* sic interdictum fuit Apostolis, ne Christum prædicarent: cui illi apertè resistebant, resistentiâ scil. negativa, *Act. 5. v. 28. 29.* Et omnibus subditis monarchiæ Persicæ, inter eos etiam Danieli, interdicta fuit ad tempus petitio ab ullo, &c. sub pœna injectionis in caveam leonum: cui Daniel ipso facto suo volens sciens resistit, *Daniel. 6. v. 8. 11.* *Lex pœnalis præcipiens* erat, ut omnes adorarent imaginem, sub pœnâ injectionis in caminum ignis *Dan. 3. v. 6.* cui se resistentiâ negativâ opposuerunt locii Danielis dicendo *v. 18. natum sis tibi, ô Rex, nos Deos tuos non honoraturos, nec auream statuam,*

quam erexisti, adoraturos. Adde nunc resistantiam negativam omnium, quotquot unquam Deum & conscientiam potius, quam impios aut iniquas leges, ductus, decreta, judicia hominum peccatorum, suo quocunque periculo & damno, sequi voluerunt. Longum esset recensere praxim ecclesiæ Apostolicæ, & antiquæ post Apostolicam usque ad Constantinum; & inde per tempora Arrianorum, Antichristi Romani surgentis, inthronizati, in *anum* constituti, usque ad pertendentem reformationem; inde rursus vexatæ per *Interim* adultero-Germanicum, per edicta & executiones in territoriis Imperii Germanici, Regum Galliæ, Hispaniæ, Principum Belgarum, &c. usque in hunc diem. Ut nihil nunc dicam de ecclesiis magis minusve clandestinis in Belgio foederato, præsertim in Hollandiâ, quæ turbis Remonstrantibus compulsæ segreges cœtus ad exercitia religionis orthodoxæ instituebant: non obstantibus decretis & edictis Magistratuum. Adeo ut plus quam stupidi buccones, aut orthodoxæ religionis ac veræ pietatis hostes sint, qui indefinitè & in genere, causæ examine posthabito, contra viros nunquam auditos, forte nec visos, quos venenatæ linguæ spiculis & famosis libellis ex latibulis suis petunt, rebelliones, perduelliones, seditiones, contemptus autoritatis publicæ (& cur non crimina læsæ utriusque majestatis) crepare consueverunt. Sic olim solent Remonstrantes, cum ministri orthodoxæ & ex scripturis receptæ doctrinæ inhærentes, Ordinum Hollandiæ decreto sanctione pœnali armato (cujus ant-ambulonem agebat ordo ecclesiasticus Ultrajectinus anno 1612.) a 1614. & 1617. subscribere detrectarent. Moribus scil. antiquis res stat Romana, Libertinica, Sceptica, Epicureo-Athea, ventriloqua: ita catachresticè loqui liceat. Certe Hadrianus VI. cum principes ad excindendam pestem Lutheranam per nuntium suum & literas animaret distinctione aliqua adhibitâ, agnoscebat *æquum esse, ut Lutherus ante audiatur in rebus facti, an concionatus sit, an hoc aut illud scripserit, nec ne. In rebus vero fidei, ac materiâ sacramentorum, id non esse consentaneum, quod dogmata generalium conciliorum & ecclesiæ autoritate semel approbata, nunquam sint revocanda in dubium.* Ex histor. Concil. Trident. lib. 1. pag. 23. edit. secundâ in 4. Quis sane civili honestate, & humanâ prudentiâ atque æquitate longè superabat aliquos quamvis externâ professione reformatos, qui in rebus facti ne semel quidem audiunt, nec audire volunt pios & fideles suos Doctores ac patres spirituales. An scil. *hoc illudve concionati sint, &c.* Sed delationibus & susurris improbi alicujus hominis, aut propriis suis phantasmatis, aut *ægyptis*, &c. stupidis suis auditibus atque intellectionibus confisi peremptoriè condemnant & ejiciunt. Ita ut requisitis qualificationibus testium ac testimoniorum, & auditioni alterius partis, & interpretationi propriorum verborum nullus in cœco & Cyclopico tali processu locus sit futurus.

2. *Concl.* Lege pœnali principum immediatè, primò & antecederent præscribenti externum ordinem in religione, nemo in conscientia coram Deo seu in foro poli obedire tenetur: ita ut, quod alibi vulgò perperam usurpatur, hic rectè usurpari possit: si possim contra facere aut omittere sine damno, potero facere aut omittere sine peccato. Ratio generalis est, quia non sunt principi datæ claves regni cœlorum, claves, tam doctrinæ, quam regiminis & disciplinæ. Quod si materia legis sit erronea, aut periculosa, aut scandalosa, aut frivola (quamvis dicatur adiaphora): tanto minus conscientia nostra obligaretur. Non possumus non hic præmonere juniores contra horridam illam dissertationem viri alioquin eruditissimi *Joh. Cameroni*, tom. 1. pag. 370. 372. & tom. 2. pag. 41. ubi ait principes posse pro autoritate in talibus statuere; & prohibere petitionem ullius rationis, præter majestatem suæ autoritatis. Et si dura, frivola, iniqua respectu nostri mandaret, conscientias tamen nostras illis mandatis obligari. Sed hunc Cæsareo-Papatum, ad modulum Canonistarum efformatum, (c. *Si Papa dist.* 40.) indoctè, imprudenter, injustè Principibus tributum, alibi ex professo ad regulam verbi divini examinatur.

3. *Concl.* In negotiis ad vitam communem spectantibus nemo in foro conscientiæ obligatur ad observationem legis purè pœnalis: e. gr. ut quis ex civibus electus ad munus aliquod onerosum illud suscipiat, aut summam e. gr. 50. 70. 100. flor. &c. in publicum usum pendat. Et tales sunt leges analogicę seu conventionales omnium collegiorum & statutorum conventuum quæ multam absentibus, aut serò venientibus imponunt. Tales enim leges pœnales per se & ordinariè secundum intentionem legislatoris obligant tantum ad pœnam, & non ad culpam. Sed cum lex pœnalis est mixta e. gr. ut mercium illarum aut istarum importatio, aut venditio, item bonorum immobilium emtio, constituti vectigalis publici exsolutio sub pœnà, &c. jam tenetur quis in foro poli eam servare; quia obligat non tantum ad pœnam, sed etiam ad culpam: ita ut non tantum metu pœnæ cogantur subditi ad officium. Ratio ejus est, quia ante obligati erant lege aliquà priori, divinà scil. aut naturali *Rom.* 13. v. 6. 7. *Propter hoc enim etiam tributa solvitis*, &c. *Reddite igitur omnibus, quod debetis, cui tributum*, &c. Obligari dico conscientiam per legem illam humanam; non per se & vi proprià illius legis; sed per aliud, vi scil. obligationis præcedanę ex anterioris alicujus legis præceptione enatæ. Hæc ita determinata convenire puto cum iis, quæ strictim attinguntur ab *Amesio in Casibus*, & pluribus ac distinctè explicantur à *Sanderfono Theologo Oxoniensi in prælectionibus de Obligatione conscientia*, lect. 8. Quę faciunt, ut sobriè philosophantes & ad alia festinantes prolixis illis Canonistarum & Scholasticorum (inter quos *Zwarez.*

lib. 5. de legibus cap. 3. - 13. & Alphonsus à Castro tract. peculiari de potestate legis pœnalis anno 1568. denuo recognito & Antwerpiae apud hæredes Joh. Stelsii in 8. excuso) disceptationibus tantisper carere queant. Sed addenda est circa casus tolerandi, & patiendi, determinatio. Sit ergo.

4. *Concl.* Leges pœnales, decreta, judicia, latæ sententiæ, præcepta, prohibitiones quæ iniqua sunt, in conscientia non obligant; quidquid auctores eorum intenderint aut non intenderint: quia vi obligationis præcedant ex anterioris alicujus legis divinæ, aut naturalis, aut etiam civilis præceptione enatæ, ad culpam obligare non possunt. e.g. aliquis Christianus ob fidem Christi secundum edicta Imperatorum aut Senatus Romani, deportatus est in insulam, aut missus in exilium, aut prohibitus domo aut civitate exire, aut damnatus ad metalla; aut ad perpetuos carceres: edicto illi pœnali, aut latæ sententiæ, aut prohibitioni, propriè obedientiam in conscientia nec præstat nec debet præstare Christianus (quin contra eam ex lege divinâ condemnat, vituperat, detestatur): sed tantum tolerando, cum aliter non possit præstat *subjectionem* υποταγήν, Phrasis hæc occurrit. Rom. 13. v. 1. & Petr. 2. v. 13. Ob metum ergo majoris mali pœnalis, patienter se subicit iniquitati, injuriæ, damno ab iniquis illato, tolerat in domino, quod tolli non potest: breviter habet se purè passivè, non activè, & consequenter in conscientia non obedit (obedientia est actio, & obedire est agere): quod ad damnum, injuriam, injustitiam, & quod ad superiorem & judicem potestate suâ injustè hic & nunc abutentem. Quin contra, positis ponendis, quamvis non cesset precari pro illis, ut Deus eos convertat, potest nihilominus precari contra illos, ut Deus eos confundat Psal. 35. & 68. & 55. &c. immo potest in conscientia dicere eum Psal. 139. v. 21. 22. *Nonne odio habentes te odio habeo*, &c. *perfecto odio odi illos* &c. Et ne quis imperitus δεισιδαιμονία excipiat, Hoc dictum & factum Davidis non convenire quibusvis fidelibus; indico conferendum Psal. 15. v. 1. *Domine quis commorabitur in tabernaculo tuo*, &c. *malignus*, vel *rejeclus* (reprobatus) *in oculis ejus contemptus est*. Interim sine peccato à talibus iniquis legibus, interdictis, sententiis, executionibus expedire, iisque se subducere potest, si modo sine majori damno.

Detur & alius casus, ubi tyrannus, aut prædo quis usurpans exercitu suo terram invadit, & edicto pœnali prohibet discessum aut fugam incolarum, ut eorum operâ in curando commeatu & perpetuo victu harpyis illis dapi- nando, in fossis fodiendis, in vallis extruendis, in oppugnandis concivibus & amicis suis uti queat: quis quæso culparet, fugâ contra legem pœnalem sibi consulentes? Ponatur & alius casus: Belgæ tempore præfecturæ ducis Albani proscripti aut exilio multati, Lutherus à Carolo V.

in comitiis Wormaliensibus proscriptus, non tenebantur in conscientia inique illi proscriptioni obedire, nec executionem ejus in se perpetuare. Belgæ illi datâ occasione subinde excurrere ad suos; aut meliori spe affulgente redire poterant; quod & fecerunt: immo non obstantibus edictis Philippi Belgarum Principis prohibitos conventus & prohibita sacra clam celebrârunt, quandocunque poterant. Lutherus, non obstante proscriptione, pedem ex Germaniâ non movebat; quin vix exactis septem mensibus, ad ministeria in ecclesiâ & scholâ Wittebergensi redibat. Quis eum propterea inobedientiæ & rebellionis in foro conscientiæ accusabit? nisi Christo & Apostolis, eandem culpam aspergere velit. Detur & hic casus: Anno 1612. 1614. 1617. in hac & Hollandicâ provinciâ per Remonstranticum ordinem, & decretum Cæsareo-Papale (utor termino *Lutheri*) restringebantur conciones concionatorum, ne totum consilium Dei *Actor. 20. vers. 20.* ex scripturis proponerent: & aliqui per imperitiam aut infirmitatem volentes nolentes jam se submiserant. At Capys & quorum melior sententia menti, strenuè & constanter renuebant, causantes aut Danaos (Remonstrantes) occultari hoc ligno, aut aliquem latere errorem. Vide dum scriptum anonymi, decreto Ordinum Hollandiæ pro pace ecclesiarum oppositum, & autoritatibus scripturæ, patrum, confessionum, reformationum theologorum munitum. Jam quæro an melioris sententiæ ministros, aut cereos & immoderatè moderatos miserè tunc circumventos, tanquam bonæ conscientiæ securos condemnandos putarent; si illi antiquum obtinentes, *isti* ex cespitatione & lapsu denuò surgentes, conciones suas ex verbo Dei ultra limites dictis decretis superiorum præfixos extendissent? Non arbitror. Ponatur & hic casus: postremis annis belli Belgici, ab hostibus Hispanicis salvi conductus concedebantur non tantum civibus privatis, sed & optimatibus, prætoribus, & quibulvis civitatum rectoribus, immo & nonnullis concionatoribus (inter quos & ego), hac tamen conditione & clausulâ, *Ne quid agerent contra servitium Regis Hispaniarum*, qui & Princeps Belgarum. An quis sanus crederet, conscientiam illorum qui fœderato Belgio juramento fidelitatis tanquam cives, & quod majus est, tanquam Rectores obstricti erant, non potuisse permittere, ut si stratagemata, aut insidiæ in civitatis suæ, aut Provinciæ, aut fœderati Belgii perniciem ipsis innotuissent, ea maturè aperirent, & quidem contra servitium Regis Hispaniæ. Quis crederet, me & alium quemcunque concionatorum salvo conductu gaudentem, suo periculo collegas, Magistratus, concives suos salvo conductu destitutos, absque peccato in foro poli, de intentato aut imminente à copiis Hispanicis periculo non potuisse præmonere? Bonâ conscientia imbri, procellâ, incendio, morbo, de-

prædationi, quis se subducere potest, & alios monere ut se subducant; nec tenetur malis illis sponte se induere, aut dutius tolerare, cum tolli possunt. *Quomodo sterilitas & imbres, & cetera nature mala, ita luxus vel avaritia dominantium toleranda.* Ita Grotius in notis ad Rom. 13. v. 3. Beza in notis ibid. ad vers. 5. monet *oportet subijci* intelligendum esse additâ exceptione, usque ad aras: valere enim illud Apostolicum, *præstat obedire Deo*, &c. Ibidem distinguit inter vim intentare Magistratui impia præcipienti, vel iniqua etiam per subjectos exequi volenti; & inter non obsequi. Istud, inquit *nobis faciendum est*; illud vero nefas est: homini scil. privato. Superioribus ergo obedientia debetur, vel agendo omnia si modo Deo & legi divinæ non repugnent: vel si repugnent, negativè exemplo sociorum Danielis (*Dan. 3.*) resistendo: vel si ab aliis fiant, & tu tantum malum triste patiaris simpliciter tolerando, quamdiu tolli non possunt; sic tamen ne fuga, aliaque licita media, quibus à malis illis liberari possemus, prohibita intelligentur. Obedire debemus superioribus, eosdem revereri, amare, honorare, quamvis Nabales, duros, iniquos, impios (*1 Petr. 2. v. 18.*); non tamen quâ tales, quales seipfos fecerunt; sed quâ superiores, quales Deus ipsos fecit. Obedimus ergo ordini divinitus constituto: non *arbitrio*, non abusui, non vicio hominum: quod contra damnamus, odio habemus, contemnimus, & nudè toleramus; non ipso facto tollimus: quia potestatis & vocationis nostræ non est illud è medio tollere. Nec tamen directè aut indirectè iniquis decretis eorumque executionibus in se aut in aliis cooperari debent fideles; iis scil. subscribendo, ad eorum observationem se obligando, aut iniquæ poenæ executionem in se aut in aliis continuando; siquidem honestis & licitis abrumpere possint.

DE MAGISTRATU POLITICO.

Resp. THEODORO VERHOEVEN, Amisfurtio-Traj. 4. Julii 1635.

In Theologia agendum esse de Magistratu constat ex commentatoribus ad Scripturam imprimis in libros Josua, Judicum, Samuelis, Regum, in Proverbia, & Rom. 13. &c. præterea ex omnibus locor. commun. scriptorib. ex Harmoniâ Confession. artic. 12. & Confession. Belgic. artic. 36. Quorum omnium vestigiis insistentes breviter istis aphorismis sententiam nostram pro more Scholarum publico examini subijcimus.

S. 1. **P**otestas Magistratus à Deo constituta, per se bona ac legitima est; ita ut bonâ conscientiâ quis eâ defungi possit, etiam in Novo Testamento Rom. 13. 1. 2. 3. 4. 5. Johan. 19. 38. cum Jesa. 49. 22. &